



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. Quo tempore præscribi possint lura quædam spiritualia?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

feudi præscribat, sufficere 30. annos: ut verò dominium utile feudi præscribere possit extraneus, si ignoret hanc alienationem seu translationem in extraneum Dominus feudi, requiritur tempus immemorabile, vel 100. annorum, si præscriptio fiat contra Dominum feudi; si tamen extraneus rem talem in se alienatam non ut feudalem, sed allodialem bonâ fide possideat, præscribit ejus dominium directum adversus Dominum 40. annis: Contra Vasallum verò Ecclesiæ, ut ab extraneo feudum Ecclesiasticum vel Ecclesiastica emphyteusis præscribatur, requiruntur 30. anni, si sciente Ecclesiâ, penes quam est dominium directum, præscriptio talis fiat; si verò fiat ignorante Ecclesiâ, requiruntur 100. anni, ut melius consulatur Ecclesiis, quarum interest scire, quem Vasallum aut Emphyteutam habeant, alij tamen minus etiam tempus sufficere putant.

## §. VI.

*Quo tempore præscribi possint iura quadam spiritualia?*

**B**eneficium, quod possidet aliquis bonâ fide, cum titulo colorato contra alium, cui legitime beneficium tale collatum fuit, ut præscribat ille, 10. requiruntur anni inter præsentem, inter absentes verò 20. anni, juxta modum, quo alia iura & bona immobilia præscribuntur, cum peculiare privilegium, quoad talem præscriptionem, non habeat beneficium: sine titulo autem non potest præscribi unquam, cum sine titulo neque bona fides adsit, quæ sine Canonica institutione (saltem existimata) non habe-

tur: per hodiernam tamen Cancellariæ regulam statuitur, ut si quis bonâ fide & cum titulo colorato, per triennium pacificè beneficium possiderit, quoddam absque Simonia (reali scilicet) ingressus est, ita ut neque intrusus fuerit in tale beneficium Apostolicæ dispositioni reservatum, molestari amplius super tali beneficio non possit, & tutus sit non tantum in foro externo ad vitandas lites, sed etiam in foro conscientie ad tollendos scrupulos.

Jus eligendi Episcopum aut alium Prælatum, extranei Clerici, qui non sunt de Collegio, ut præscribant, 40. anni requiruntur cum titulo colorato, vel tempus immemorabile sine titulo, si hoc usucapere velint exclusis Capitularibus *juxta c. 1. b. t. in 6.* Si verò jus hoc per præscriptionem obtinere volunt, ut unâ cum Capitularibus ipsi extranei Clerici eligant, tum non opus est titulo, sed sufficit longissimum tempus 40. annorum, prout contra Ecclesiam præscribitur, neque enim in hoc casu extraneis Clericis jus resistit, aut magni præjudicij res agitur, cum Capitulares ab eligendo non excludantur, & horum scientia & patientia extraneo Clerico ad jus eligendi præscribendum pro titulo servare possit.

Jus Patronatus, sive jus præsentandi ad beneficia, si constet Ecclesiam ab initio fuisse liberam, sine titulo non præscribitur à Laico, nisi tempore immemorabili; & quia præsumptio juris tali præscriptioni resistit, cum titulo non præscribitur nisi 40. annis; si verò dubium sit, libera num fuerit Ecclesia Parochialis, possunt Parochiani jus Patronatus



tus in tali Ecclesia præscribere intra tempus relatum, cum verisimile sit illos fuisse fundatores: si autem Ecclesia libera non est, sed constat, illam Patronum habere, tunc jus Patronatus à Laico contra verum Patronum præscribi potest cum titulo colorato 10. annis inter præsentem, & 20. inter absentes; sine titulo autem annis 30. prout alia bona immobilia, & jura contra privatos præscribuntur, neque enim ut sic contra Ecclesiam præscribitur, cujus parùm interest hunc vel illum habere Patronum. Quid autem hac in re statutum hodie sit in Tridentino, in titulo de jure Patronatus videbitur.

## §. VII.

*De tempore, quo præscribuntur jura servitutium, obligationes & actiones.*

Servitus mixta, quæ à re debetur personæ, uti est ususfructus v. g. usus & servitus merè realis, quæ à re rei debetur, sive affirmativa illa sit sive negativa, sive rustica sive urbana, cum bona fide & titulo inter præsentem 10. annis acquiritur, inter absentes 20. annis, sine titulo annis 30. nisi servitus continua aut quasi continua fiat sciente & patiente Domino, ad quam taliter præscribendam etiam sine alio titulo sufficiunt 10. anni inter præsentem, & 20. inter absentes; aut sit discontinua, quæ sine titulo non præscribitur, nisi tempore immemoriali, ita tamen ut ad hanc præscriptionem non requiratur scientia, & patientia Domini. Amittuntur verò per præscriptionem servitutes, reales quidem rusticæ per solum non usum, 10. annis inter præsentem, & 20. annis inter absentes. Urbanæ ve-

rò per non usum & positivum actum præscribentis contrarium servituti debent; prout variis juris sui textibus probant Civilistæ, quos consule, tam de servitutibus præscribendis, quam de actionibus & obligationibus, quorum tempus præscriptionibus talibus necessarium.

## §. VIII.

*Quomodo præscriptio temporis immemorialis, & centenaria inter se differant, & qualiter utraque probetur?*

Immemorialis possessio dicitur illa, cujus initium hominum memoriam excedit, hominum scilicet qui cum vivunt, præscribitur autem excedere hominum memoriam, quod excedit 100. annos, qui est in ordinariè vitæ longævæ hominibus præscriptio immemorialis in eo differat à centenaria, quod hujus præscriptionis sit certus terminus, & non requiratur ignorari hujus initium, illius verò immemorialis præscriptionis non sit certus terminus, & non sciatur, quando cepit. Quin etiam differant inter se modo probandi, quamvis enim utraque per testes probari possit, potest tamen centenaria etiam per instrumentum publicum probari, ex quo de possessione 100. annorum constat, & immemorialis ut legitime per testes probetur, debet hi deponere, quod hæc ita esse à longæ majoribus viderint & audierint; neque unquam contrarium viderint vel audierint; & quod communis semper opinio & fama publica fuerit, rem ita esse habere; & ex probabili debent hi testes 54. annorum esse, qui de 40. annis